B. N. C
FIRENZE
1094
2

Digitized by Google

1094.2

Digitized by Google

Digitized by Google



1094.2

Digitized by Google

AXIOMATA POLITICA PRINCIPUM

E

POLITICORUM PRINCIPE

TACITO

Depromta:

Aliorum accedentibus Autorum ſententiis

Veteriq; Hiſtoriæ monumentis,

Quæ

ASPIRANTE DIVINÆ GRATIÆ AURA,

Sub PRÆSIDIO

NOBILISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI DOMINI

JOH. ULRICI PREGIZERI, u. J. D.

SERENISS. DUCIS WIRTENB. CONSILIARII,

DICASTERII AULICI ASSESSORIS,

ILLUSTRIS COLLEGII TUBINGENS. PROFESSORIS

CELEBERRIMI,

PATRONI ET FAUTORIS,

ad ultimum usque vitæ halitum colendi,

XII. CALEND. April.

Horis antemerid.

IN COLLEGIO ILLUSTRI,

Amicorum Cenſuræ

Subjicit

CHRISTIANUS ALBERTUS LENZ, IMBRIPOLITANUS,

A. & Reſp.

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEII,

Anno M DC LXXXVII,

Digitized by Google

PER-ILLUSTRI
ET
GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO
HENRICO FRIDERICO FORSTNERO
à DAMBENOY,
SERENISS. WIRTENBERGIÆ
DUCIS
CONSILIARIO STATUS INTIMO,
AULÆ MARESCHALLO,
TRACTUSQUE URACENSIS SATRAPÆ,
PATRONO
OPTVMO, MAXVMO,

Summa pietate ſancte ſuſpiciendo.

Specimen hoc Academicum

in ulteriorem ſui Commendationem

devota mente

conſecrat

C. A. LENZIUS,
A. & R.

1094.2

TUUS VIR GENEROSISS. ſeſe offert oculis periculum hoc Academicum, quod quomodocunque leve ſit, pondus à TUA gravitate accipit: ſuſcipe quæſo benigno animo, noli indignari, noli dedignari TUUM tam ILLUSTRE hic præfigi nomen, quod niſi totum illuminaret conatum, tenebræ in eo, & quaſi obſcura nocte obducta appareret nubes: lumen & faces à TE accerſo, quibus mea illuſtrem ſtudia, & vividum tanti nominis decus ſuum mihi fundat auſpicium, boni ominis augurium. Si in memoriam placet revocare, literas chariſſimi D. Avunculi mei p. m. queîs TIBI VIR GENEROSISS. de meliore nota me commendatum ibat, anſam dabunt illæ levia hæc accipiendi ab eo, qui omnem movebit lapidem, ut tanti VIRI favore ſe dignum appellari audiat. Mortuus quidem D. Avunculus meus PORTNERUS, cujus memoria mihi ſemper erit re-

ligioſiſſima: ſed non credo ſimul TUUS in me VIR GENEROSISS. favor, quem vel poſt funera illius viventem, & velut inter cineres repertâ ſcintilla in magnam excreſcendo flammam quotidianis majorem fore ſpero acceſſionibus. Meum erit DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ numen aſſiduis invocare ſuſpiriis, ut TE VIR GENEROSISS. cum ineunte vere, quo omnia revireſcunt, refloreſcentem in ſeram annorum ſeriem vigere, & cum æternitate rerum certare ſinat Nominis TUI GLORIAM. VALE, quem fortunæ meæ fabrum non minus aliquando, quam nunc ſtudiorum promotorem appellare geſtio. VALE VIR GENEROSISS. in quo tanquam in ſecuro littore bonæ ſpei figo anchoram.

AUSPICIIS DIVINIS

Axioma.

I.

EA CONDITIO IMPERANDI, UT NON ALITER CONSTET RATIO, QUAM SI UNI REDDATUR.

PACIS INTEREST, OMNEM POTESTATEM AD UNUM CONFERRI.

DISCORDANTIS PATRIÆ NON ALIUD REMEDIUM, QUAM SI AB UNO REGATUR.

TACITUS Annalium libro 1. capite 6. numero 7.

Hist. l. 1. c. 1. §. 2.

Ann. l. 1. c. 9. §. 4.

MAxima quæque mundi imperia & respubl. ab unius principatu sua traxere incunabula, inde principatui antiquitas, & ex antiquitate constat dignitas. Sed dum vetus ac pridem insita mortalibus potentiæ cupido irrupit, natura hominum avida facta imperii, plures simul Reip. capessere gubernacula, malorum oriri Lerna, ut Resp. illæ Herculis sidere prognatæ viderentur, queîs quasi ab angue Lernæo tot imperantium capita, de suorum renascerentur sanguine. Ipsa jam Roma rerum postea gentiumque Domina ab exiguis profecta licet initiis nec duos ab initio passa Reges Romulum & Remum, sed

Fraterno primùm maduerunt sanguine muri.

Post eam tempestatem audivimus Cæsarem & Pompejum paribus utrumque votis & viribus imperium orbis agitâsse.

Poterat nec Cæsar ferre priorem
Pompejusve parem, quis justius induat arma
Scire nefas, magno se judice quisque tuetur.

Occidebatur ille Cæſar, quod aliis peſſimum, aliis pulcherrimum videbatur facinus, isque Roman. animorum motus fuit, ut facinus hoc auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur. In tanta perturbatione, ubi omnis poteſtas, impatiens conſortis erat, & corruptiſſimo tunc ſeculo, ubi pauci bona libertatis, cujus vix veſtigia reſtabant morientis, incaſſum differebant, plures bellum paveſcebant, alii pacem cupiebant, patsq; multo maxima incumbentes triumviros variis proſequebantur rumoribus, gratulandum erat Romæ, quando potiſſimum ad Octav. Aug. rerum ſecundarum, ambiguarumve ſcientem, eoque interritum, ſumma rerum redierit, qui ſapientia ſua undique perculſum Imperii corpus, & cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis accepit. Si diviſum poſtea in Orientale & Occident. reſpicimus Imperium, mundum reperimus non regi poſſe duobus ſolibus, ut haud immerito exclamaverit Homerus

εἷς Κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

II.

Ann. l. 1. c. 11. n. 3.

ARDUUM ET SUBJECTUM FORTUNÆ CUNCTA REGENDI ONUS.

Sententia hæc Tiberii, abſtruſi illius Tiberii, & triſtiſſima quæque vel maxime occultantis, piiſſima, ſi à pio & ſincero prolata foret animo, aliud enim in ore, aliud gerens in pectore, ſpecie recuſantis imperium flagrantiſſime cupiebat. In promtu ſunt exempla, & animi de meliore metallo efficti, qui delatum Imperium ob magnitudinem fortunæque varietatem aut recuſarunt, aut inviti ſuſceperunt. Saturninus ap. Vopiſcum amicis ſceptra deferentibus, nolite; inquit dare, quod multi invideant, plures concupiſcant, gladii impendent Regibus, tela cervicibus. Cui parallelum illud Dionyſii Siculorum tyranni, qui Damocli nimium quantũ regiam deprædicanti fortunam apparatis epulis aſſidenti è

filo

filo pendentem ſupra caput gladium habenti, ſuaſit, deſinat laudare ſumma cacumina, fulminibus, cœli injuriis, fortunæ obnoxia iniquitatibus. Maxima enim quæque in lubrico, & audaciſſimas hominum ſpes, quilibet ex improviſo caſus elidit: maximæ cuique fortunæ minime credendum, cujus verſabilis rota nunc ad cœli cardines, nunc ad ſquallentia Acherontis detrudit profunda: cuncta mortalium incerta, quantoque plus adepti, tantò magis in lubrico. Docet hoc Dionyſius ſuo exemplo, de quo falſe Poeta

Dextra Siracoſii ſceptris aſſueta Tyranni
Poſt ferulas pueris ſceptra verenda tulit.

In proverbium abiit DIONYSIUS CORINTHI, qui quaſi ad ludibrium fortunæ natus, nec propter aliud accepiſſet opes, quam ut amitteret. A quo non abſimilis potentiſſimus Perſarum Monarcha Xerxes, arbiter ante pacis, moderator belli, piſcatoria vix ac ne vix quidem evaſit navicula, quem ante vix omne capiebat æquor; Pompejus M. documentum poſteris, momento temporis ſumma verti poſſe, unde magni res momenti pendent. Valerianus Saporis, Crœſus Cyri, Mauritius Phocæ, Bajazeth Tamerlanis ludibria, orbi tanquam theatro ſua oſtentant fata, exempla inſtabilis fortunæ ſumma in ima mutantis.

III.

FATO POTENTIÆ RARO SEMPITERNÆ.

Ann. l. 12. c. 11. n. 2.

Fatum Tacitus intelligit gentile, Chriſtianus ego & nomine & omine Chriſtiane interpretor, & Deum dico cauſam eſſe, qui pro Majeſtatis ſuæ omnipotentis nutu & lubitu humana negotia volvit agitque, omnia mortalium opera mortalitate damnans, vel ſceptra ligonibus æquat, magnis rebus volens quaſi ineſſe orbem, ut temporum, ita & Imperiorum vertantur vices. Floruere Aſſyria, Perſica, Græca, poſt has Romana gens, quæ nec totam ſervitutem

nec totam libertatem pati poterat, & cujus nunc tantum

Stat magni nominis umbra.

IV.

Ann. l. 12. c. 11. n. 2.

NON DOMINATIONEM PRINCEPS ET SERVOS, SED RECTOREM ET CIVES COGITET, JUSTITIAM AC CLEMENTIAM CAPESSAT.

Resp magna est, velut familia in qua princeps pater, quem Aristoteles monet, ut clementer dicendo liberis imperitet; cui assentitur, Lacedæm. Rex, Principem carere posse milite in forum, milite in curiam comitante, si sic subditis imperitet, ut pater liberis. Justitiâ, & clementia regunt Principes cives, agunt Rectores: Justitia & clementia duo summa illa regii cœli & primæ quidem magnitudinis sidera, queîs omnis fulget potestas, illi duo Atlantes, queîs imperiorum nititur machina. Italis in proverbio est, Panem in foro, justitiam in tribunali, securitatem ubique boni Imperii esse signa. Sanè remota justitia, quid sunt regna? nisi magna latrocinia: remota clementia? quid sunt regna, nisi Tyrannidi proximè accedentes dominationes. Justitia Aristidem fecit famâ super ætherea notum: Clementia tot Regibus quasi indubitatum virtutis suæ præmium Clementis nomen dedit, dedit & memoriam. Justitia & clementia sunt artes illæ, queîs Principes cœli arces attingunt igneas, & ex mortalibus pene fiunt immortales. Rectè non minus quam bene Stephanus Walachiæ Waiwoda rejectis in terram oculis Sigismundo Hungar. Regi defectionis deprecaturus culpam, imitare, inquit, Rex Deos immortales, quorum vicem geris in terris, & ab his addisce resipiscentes è pœnitentia animos non aspernari, & clementia potius quam severitate hominum promereri gratiam, promereri benevolentiam. Regie sane coram Rege. Bonfinius.

V. OMNIA

V.

OMNIA SCIRE, NON OMNIA EXEQUI, PARVIS PECCATIS VENIAM, MAGNIS SEVERITATEM COMMODARE, NEC POENA SEMPER SED SÆPIUS POENITENTIA CONTENTUM ESSE. Agric. c. 19. n. 4.

Juſtitia flumen eſt. Cujus nimium curſum velut inhibet clementia, cujus proprium, ut ajunt, in quarto modo, tranſilire nonnunquam ſeveræ æquitatis terminos, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recuſant. Pater niſi multæ & magnæ devicere injuriæ patientiam, non accedat ad decretorium ſtilum: ſic Pater patriæ, & ſibi dictum credat.

Ignoſcere pulchrum
Iam miſero, pœnaque genus vidiſſe precantem.

Nimia ſeveritas ſæpe tumultibus præbet occaſionem. Amaſis Ægypti rex cum plerosq; inauditos, & ſic innocentes ultimo affeciſſet ſupplicio, exoſum ſe reddidit, & Actiſani Æthiopum regi invadendi anſam dedit, quo adventante, ſubditorum occulta, obſcura ante, eoque inevitabilia odia, multa plebis adverſa in Amaſin judicia, quanquam olim preſſa erupere, affectum injuriis regem privantia regno.

VI.

QUANTA PERVICACIA IN HOSTEM, TANTA BENEFICENTIA ADVERSUS SUPPLICES UTENDUM. Ann. 12. 20. 4.

Bello præſertim peracto, & obtentâ victoria, opus eſt clementia. Eleganter canit Poëta Mantuanus

Tu regere Imperio populos, Romane, memento
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Optimum optimi Poetæ monitum preſſo pede ſequentes

Romani, plus parcendo victis auxere Imperium, quam vincendo. Ita Romulus eodem die hoſtes, deinde cives habuit. Manſuetudinis gloria erga victos. Invictus armis, victus clementia flotuit Alexander: miſere ad eum legatos Sacæ, quos regia virtus & ſumma in captivos movit benignitas, omnibus quippe ſine pretio remiſſis, ferociſſimis etiam gentibus fidem faciebat, fortitudini jungere clementiam Heroum eſſe.

VII.

Ann. 1, 39. 5. Ann. 3. 26. 5.

RELIGIONE SE TUTARI. RELIGIONIBUS ET DIVINO JURE SIBI POPULUM DEVINCIRE.

Anticyras abeant, & ingenia elleboro expurgent, maleferiati homines, qui à principe verè Politico religionem abeſſe debere dicunt, imò ſomniant. Nonne religione vita conſtat? Nonne honor religionis firmamentum potentiæ. Romaniq́ue ipſi omnia religioni poſthabenda cenſuere, in ea maximum Imperii & majeſtatis decus conſpici volentes, ut ſi, quis rem æqua lance perpenderit plus Romam Pompilio ob religionem, quam Romulo ob virtutem debuiſſe militarem, facile confiteatur. Religio ſpiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, religio omnis Juſtitiæ fundamentum, omnis ſocietatis coagulum. Ut autem Princeps animis & oculis debet ſervire civium, ita præprimis caput reip. decet colere caput virtutum pietatem, quam prolapſam, & religionem neglectam, ſemper ſecũ traxiſſe Remp. & trahere adhuc, infinita exemplorum oſtendit multitudo. Conſtat omnia evenire proſpera colentibus Deum, adverſa ſpernentibus. Nemeſin divinam contemtæ religionis pediſſequam experti Cambyſes, Xerxes, Phocenſes, Craſſus, Brennus, aliiq́; Solere autem potentes religione, imò ſæpe religionis umbra & ſimulacro, plebem ſibi devincire, & tanquã freno regere,

regere, & in communem obedientiæ redigere gyrum, vetus eſt ludus, & cum incunabulis regnorum natus. Ipſe DEUS cœlique majeſtas pridem inter dominationis arcana ſunt. Primores Romanorum animos plebis pavidos, & conſcientia vecordes religione velut thyrſo percuſſere captosque ſuperſtitione habuere quæſtui. Numa Pompilius Dea Ægeria, Scipio Jove Capitolino, Sertorius cervâ, Marius Syra fatidica, Sulla Sigillo Apollinis, & apud Ethnicos aliosque Lycurgus Apolline Delphico, Hieronymus Savonarola colloquio cum DEO, Mahometes columba, uſi ad defraudandos humiles illos formidine divûm, Sed ut ad religionem revertar: reprehendendi Ægyptiorum Reges, qui variam & miſcellam ſtabiliendo regno induxere religionem, ſed, quæ apud concordes caritatis vincula, apud infenſos incitamenta irarum erant. Cenſent nonnulli diverſitatem in religione ſubditorum prodeſſe regi, non obeſſe, efficere enim ne facile conſpirent: alii objiciunt dictum illud in Act. Apoſt. c. 4. v. 32. multitudinis credentium cor ſit unum, & anima una. Litem mihi non applico, ex hiſtoriis, rerum geſtarum gerendarumque eventu judicium quemque melius pro ſuo affectu trahere poſſe judico. Sæpe refragantes & ſolum Deum mentis regem appellantes, fidem ſuadendam non imperandam dicentes, invitos ſubditos ad ſuam compellere fidem nitebantur reges varii, vario eventu. Ultima quæque ſe paſſuram pro Chriſtiana Religione Thebæa olim legio promiſit Maximiano Imperatori, imò & præſtitit. Mauritius legionis primicerius jubenti Imperatori decimum quemque recuſaturum gentili ſacrificio perlictores interfici, animoſe reſpondet: Habebis poteſtati Tuæ ſubdita omnium corpora, autorem verò ſuum reſpicientes Chriſtum animas non tenebis. Tela projicimus, exarmatas quidem dexteras ſatel-

les

ſes Tuus, ſed armata fide Catholica pectora reperiet. Ibimus, inquit poſtea ad ſocios, ibimus felices ad Creatorem noſtrum, & ſine invidia piiſſimas miſcebimus Umbras, ſi extinctis ſenſibus toti condimur humani interris, hoc cum vita malum effugimus, ne contemtorem DEI noſtri venerari neceſſe ſit. O quam fortiter, ô quàm conſtanter in vico Agauno, qui inde Mauritii nomine gaudet, non procul ab urbe Martinach ad unum omnes cæſi, non pro ſalute cum Batavis, non pro libertate cum Germanis, ſed quod ſpecioſius, quod majus eſt, pro religione vita defuncti per gloriam in perpetuum vivere intelliguntur.

VIII.

Ann. l. 15. c. 2. n. 4. MODESTIÆ FAMA NEC SUMMIS MORTALIUM SPERNENDA ET A DIIS ÆSTIMATUR.

De civitate Ormuz perhibent Geographi, eam mererigemmæ locum, ſi totus Orbis repræſentaret annulum: abnuo, & de modeſtia verius prædico, virtutum compendium, ſi uno concluderetur annulo, modeſtiam gemmæ vicem occupaturam. Quæ virtus inter divas jam olim relata, colenda à mortalibus immortalitatem propinquo gradu attingentibus. Regi Dejotaro virtutum reginam modeſtiam adfuiſſe Cicero in laude ponit.

IX.

Annal. 4. 38. 6. OPTIMOS MORTALIUM ALTISSIMA CAPERE.

Ad alta niti virtutis, pervenire felicitatis eſt. Alexandrum M. quem ad altiſſima quæque ingenita tanto ingenio laudis cupido, & fax mentis honeſtæ gloria trahebat. Scytharum legatus haud Scythice affatur: Vide ne dum ad cacumen pervenire contenderis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas. Anneſcis, magnas arbores diu creſcere, una hora extirpari: ſtultus eſt, qui fructus earum ſpectat.

ſpectat, altitudinem non metitur. Nihil quidem tam altè conſtituit natura, quo virtus non poſſit eniti: ſed modus in rebus, & certi ſint denique fines: anima adhibenda virtutum, moderatio, cujus ſi ſuperantur limites, jacta eſt alea, quod ſemel male cecidit, non poteſt arte corrigi. Lacedæmonii, quorum partibus ipſa videbatur deſponſata fortuna, ſed docente eventu, ad ſiniſtram, ut Germani appellant manum, more ingenii humani, quo plura habuere, eò ampliora cupientes, non contenti acceſſione Athenienſium totius Aſiæ Imperium affectare cœperunt. M. Manlius feliciter peracto bello pro republ. regnum inſtituere geſtiens, altiores ſpiritus gerendo dum nimis altum ſapit, de alti Tarpeii montis rupe proſternitur, egregiam vitam peſſima morte finiens: documentum omnibus, reverenter habendam fortunam, quæ nunquam ſatis fida ubi nimia: imponendos felicitati frenos, nam lubrica eſt, nec invita teneri poteſt.

X.

VTILISSIMUS ET BREVISSIMUS RERUM BONARUM, MALARUMQUE DELECTUS, QUID SUB ALIO PRINCIPE VOLUERIS AUT NOLUERIS. Hiſt. l. 1. c. 16. n. 6.

Nemo bene imperat, dictat Seneca, niſi cui imperatum: quod enim tibi non vis fieri alteri, ne facias. Quam ſententiam adeo dilexit Alexander Severus Imperator, ut in palatio, & vanis numinibus ſacratis templis publicisque operibus præſcribi juberet. Confirmavit exemplum illud ſine exemplo, & virtutum viva imago Trajanus, qui nil ſe imperatorem privatis facturum promiſit, quod nollet ſibi privatus ab Imperatore fieri.

XI.

SERVIUS TULLIUS SANCTOR LL. FUIT, QUEIS ETIAM REGES OBTEMPERARENT. Annal. 3. 26. 8.

Pie Imperatores Severus, & Antoninus in §. ult. Inſtit. quibus mod. Teſtam. infirm. Licet, inquiunt, legibus ſoluti ſimus, LL. tamen vivimus. Et Germanus ille vates l. 8. de geſtis Frider. Imper.

Sponte tamen legi ſeſe ſubmittere regem,
Gratia ſit magno, qui temperat omnia regi.

In communi fertur lex illa 31. ff. de LL. Princeps LL. ſolutus eſt. Humanis nempe, non divinis, & naturalibus, imo & in humanis revera majus imperio LL. ſubmittere principatum.

XII.

Ann. l. 15. c. 1. n. 6.

IN SVMMA FORTVNA ID ÆQVIVS, QUOD VALIDUS, SUA TUERI PRIVATÆ DOMUS, DE ALIENIS CERTARE REGIA LAUS EST.

Cum grano ſalis accipiendæ hæ voces: venenum gerunt in cauda, & quid monſtri alunt: niſi examinaveris ad Lydium rectæ rationis piæque conſcientiæ lapidem, reprobaveris peſſima, approbaveris optima, facile errabis: contrariantur juri civili. Et licet gladius dicatur optimè de finibus diſputare, ſileantque inter arma LL. rem mage ferro, dum repetunt, Chriſtianum tamen vere crediderim Principem, qui Imperatoris Juſtiniani doctrinam velut filum Ariadnæum ſecutus, majeſtatem habet LL. armatam, armis decoratam, & tam juris ſe præbet religioſiſſimum, quam victis hoſtibus triumphatorem magnificum. Egregie ſidus illud eruditi orbis, Illuſtris ille Taciti Illuſtrator, Regna, inquit, non judicio petuntur civili, aut tribus prætoris verbis, cruentis poſtulantur judiciis: ubi (ut cum Cardin. Mazarino loquar) tormenta ſunt ratio ultima Regum, gladius judex, actio bellum, rei judicatæ executio, mors autem iniqua ſervitus. Hactenus ille. Si juſtitiam Principes ſequi velint, non libidinem dominandi cauſam belli habe-

habere, nec in maximo Imperio maximam putare gloriam ſed ſuum cuique retribuere, & reſtituere quod vi & armis occupaverunt, ad caſas, & egeſtatem reverſuros, conqueritur Cicero. Vid. Limn. in addit J. P. ad l. 1. c. 5.

XIII.

MAGNITUDINEM SUAM JUSTITIA TUERI.

Germ. 34. 4.

Finxere Poetæ ſolio Jovis juſtitiam aſtare cum libra dictorum factorumque judicem, & firmiſſimum quaſi divinorum placitorum ſuſtentaculum. vid. Petavius in Comœd. Siſara. Clypeus juſtitia, quo pius, Diisque ſimillimus princeps ſe tanquam fortiſſimo defendit propugnaculo: in bellis præſertim, ubi

Cauſa jubet melior ſuperos ſperare ſecundos.

Juſta cauſa velut caput bonæ Spei ad triumphales perducens terras, plusque reponendum in ea quam in duce ac exercitu: victoriam non dat fortitudo, niſi legitimam cauſam habeat commilitonem: Belli eventus æquus velut judex eò inclinat, unde pendere juſta incipit. Cum Carthaginenſes Afris tributa pro ſolo exolvere recuſarent, belloque ſuccumberent, notanter Juſtinus inquit, Afrorum ſicut juſtior cauſa, ita & ſuperior victoria fuit.

XIV.

NON IGNAVIA MAGNA CONTINENTVR IMPERIA, VIRORUM ET ARMORUM FACIENDUM CERTAMEN.

Ann. l. 15. c. 1, n. 5.

Stultitiam appellat Patavinus Hiſtoricus, ſedendo ac votis debellare hoſtem: audendo atque agendo rem Romanam creviſſe. Sardanapalus animum non remiſſum habens, ſed ſolutum, (multum autem intereſt remittas aliquid an ſolvas) inter fœminarum repertus greges, perdidit imperium, negante Arbace, ſe vivere poſſe ſub eo, eique

 parere.

parere, qui mallet fœminam quam virum agere. In pace quidem cauſæ & merita ſpectantur, ubi bellum ingruit, fors cuncta turbare ſolet, innocentes ac noxii juxta cadunt, & ignaviſſimi telis pereunt fortiſſimos. Boni viri tamen, & bona arma, conſilio nempe temperata, in pace decus, in bello præſidium, ſunt anchora illa, qua nititur gubernatoria navis; ſunt vela, quorum ope periculorum Sirenes ſine periculo, discriminum Scillam media inter & Charybdim, tuta ac ſine naufragio præternavigat. Alexander M. ferro ait geri bella, defendi imperia, non auro, viris non urbium tectis, & omnia ſequi armatos: quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris aperuiſſe naturam. Bajazethes Sigiſmundi Hung. Regis legatos in armamentarium deductos, & militiæ campum, jus hoc docet ſuum eſſe, imitatus viriliter viros illos Gallos apud Livium, jus ſe in armis ferre, & omnia fortium virorum eſſe prædicantes. Ante Germanos nullos fide, aut armis eſſe, ipſi Germani Romæ in conſeſſu civium dicebant: horum poſteri præſidium ab audacia mutuantes ereptum, Romanis gentium victoribus Martium decus, imperii gloriam, partam armis libertatem, & Arſacis imperio acriorem, veteri adhuc dum militiæ laude conſpicui, ſtabili diſciplinæ ſeveritate tuentur.

XV.

Ann. l. 12. c. 11. n. 3.

FERENDA REGVM INGENIA.

Æquum & iniquum Regis Imperium feras: indigna digna habenda, Rex quæ facit. Meritò celebratur inde Lyſimachus, qui magno animo regis velut parentis contumeliam tulit. Vetula quæpiam audiens Dionyſio Siculorum tyranno mortem optari, nolite inquit, talia vovere, ferenda regum ingenia, ſi fors voluerit, pejor ſequitur. Boni principes (quos ille apud Vopiſcum ait, uno poſſe deſcribi annulo)

annulo) voto expetendi, qualescunque tolerandi, ut tempestas, & reliqua naturæ mala. Improbo Principi, si succedit melior, subditi de fluctibus quasi efferentes pedem, de naufraga salvi evadentes rate, arenam securis adorant osculis, & velut præteritam maris tempestatem ex securo littore gratissimo recordantur horrore. Ferenda num sint regum ingenia, si quid contra legem DEI præceperint, egregiè ut omnia tractat Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 4. n. 1. & in l. 2. c. 25. n. 8.

XVI.

PRINCIPI SVMMVM RERVM JVDICIVM DII DEDERVNT, SVBDITIS OBSEQVII GLORIA RELICTA. Ann. l. 6. c. 8. n. 15.

Livius ait, firmissimum esse imperium quo obedientes gaudent, & ipse Alexander, Regum ait, ducumque clementia non in ipsorum modò, sed in illorum qui parent sita ingeniis, quæ plerunque violenta aut ignava. Obsequio mitigantur imperia, quo pereunte, pereunt & ea. Quæsitus ille, quare Sparta tantopere floreret, æternitatem urbis, salutem gentis in eo consistere respondit, quod subditi recte pareant. Principi summum rerum judicium DEUS dedit, nec subditis reddenda ratio, quare ad hoc, quare inclinet ad illud. Rebelles Angliæ, queis compositis rebus nulla spes erat, & omne in turbido consilium, crimina objectabant Regi Carolo Stuarto, precariam inter infensos animam trahenti: sed generose ille respondit: soli DEO se obstrictum esse ad reddendas rationes. Imitatus regem Davidem ad DEUM clamantem, TIBI soli peccavi.

XVII.

GRAVISSIMOS PRINCIPIS LABORES, QVEIS ORBEM TERRÆ CAPESSIT, ADMINICVLIS EGERE. Ann. l. 12. c. 5. n. 4.

Optimos gubernatores juvat & remigum manus. Hercules Philoctetem, Achilles Patroclum in secretiora rerum admisit gerendarum consilia. Nil Agamemnon sine Nestore, nil Diomedes sine Ulysse agitabat, & ni Princeps vicariam sibi quæsiverit operam, non sufficiet publicis laboribus, & si vel ipso Atlante firmiores incumbentibus negotiis opponat humeros. Tiberius fatetur se ab Augusto in partem curarum assumtum, experiundo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ cuncta regendi onus. Augusti exemplum plures secuti Imperatores, ascisendo collegas Imperii, sed quo sæpe eventu, historia docet rerum magistra.

XVIII.

Hist. l. 4. c. 7. n. 6.

NVLLVM MAJVS BONI IMPERII INSTRVMENTVM, QVAM BONI AMICI.

Inter privatæ vitæ delitias, & humani generis gaudia sincera recensetur amicitia. Quis illam suavitatem, Regibus & principibus exuendam dixerit, quorum bona malaque ad Remp. pertinent: nisi clarissimo cuique plures curæ, plura subeunda pericula, delinimentis istis curarum foret carendum. Alexander M. ô terque quaterq; beatum, fortunam inter dubia, virtutem amicorum inter certa numerantem, qui ejus venerationis erant, ut singulos Reges putares non ambitione, sed meritis, quippe iis ea formæ pulchritudo, proceritas corporum, virium ac sapientiæ magnitudo fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una Macedonum gente, sed ex toto terrarum orbe selectos judicaret.

XIX.

Ann. l. 6. c. 8. n. 6.

ABDITOS PRINCIPIS SENSVS, ET SI QVID OCCVLTIVS PARAT, EXQVIRERE ILLICITVM, NEC IDEO ASSEQVARE.

Poëta

Poëta Comicus in deliciis à Lyſimacho habitus, ab eodemque offerente liberalitatem, quid vellet, interrogatus, quodcunque inquit voles, modo ne quid impertiaris arcani. Livia in ſuas Auguſtum traxerat partes non ſolicite inquirendo in ipſius facta. Deterrimum in privatis appellat Seneca vitium, inquiſitionem ſecretorum: multo magis in Principum graſſari abdita, & invitis illis penetrare reprehendendum. Imò quod Tacitus ait, ſupplicio dignum, exemplo Tiberii, ſic punire ſueti curioſos rerum ſuarum, & moleſtè ſedulos indagatores, ne arcana domus, ne conſilia vulgarentur amicorum.

XX.

NON LEGIONES, NON CLASSES ÆQVE FIRMA IMPERII MVNIMENTA QVAM NVMERVS LIBERORVM. Hiſt. 4. 52. 2.

Sunt hæc ſubſidia dominationis, ſubſidia aulæ, quæ ſi non in incerto, pravæ aliorum ſpes cohibentur. Alexander M. conqueritur orbitatem ſuam ſperni, quod ſine liberis ſit, quo extincto in varia regna varii diſtraxere Reges Imperium, quod ante penes unum erat. Caroli M. ſtirpe deficiente, cum ultimus Germanor. Rex nullum ſibi adoptaſſet, ad quinquaginta quatuor Imperii proceres omnis devoluta poteſtas. Plena Cæſarum domus, Sejani, qui veriſſime fortunæ poteſt appellari pila, cupitis moram injecit. Solent hinc plerique Magnatum ante mortem filios Imperii vel principatus deſignare ſucceſſores, primogenitosque certis indigitare titulis, ut omnis tumultibus præcidatur occaſio. Ita Hugo Capetus Robertum filium nominavit ſucceſſorem: Carolus IV. Wenceslaum: Carolus V. Ferdinandum. In Romanorum Imperio primogeniti appellabantur olim Principes Juventutis: nunc Reges Romanorum: in Gallia Delphini, (quod nomen ab Humberto

berto Principe Delphinatus originem traxit, qui provinciam eam Regi Galliæ pacta lege vendidit, ut imposterum primogenitus cujusq; Regis filius Delphini titulo insigniretur) in Hispania Principes Asturiæ, & Infantes: in Britannia Walliæ Principes: in Scotia Principes Scotiæ: olim in Cypri Regno Galilææ, in Neapolitano Salerni dicti Principes. Nonnunquam tamen est res periculosæ plena aleæ, certum nominare successorem, cum quippe duo plúresve Regii Sceptri sint competitores. Servit pro exemplo Robertus Galliæ R. qui filium natu maximum Hugonem declaravit successorem, quo fatis functo, in locum deficientis substituit ætate sequentem Henricum invita matre, & majore cum affectu minimum natu complectente: hinc dissidia inter fratrum, dissidia inter procerum excitata ingenia, dum quisque suæ partis studiosus privata etiam vulnera reip. malis operire statuit: accessit privata stimulatio, & vile decus publicum. Rege Roberto ad plures discedente, divulsa regia, ventum ad civilia arma, quæ nec parari nec haberi per bonas artes, & magis defleri quam defendi poterunt, dum nihil miserius quam ipsa victoria. Gottofr. in Hist. Univ. ad ann. 1028.

XXI.

Ann. l. 2. c. 28. n. 3.

DISPLICENT REGNANTIBVS CIVILIA FILIORVM INGENIA.

Ut enim à pessimis dedecus publicum, ita ab optimis periculum sibi metuunt, suspectum invisumque habentes, quem sibi proxime destinari credunt, metu Orientem Solem adoraturos subditos, deserturos Occidentem. Turcicorum Imperatorum liberi non prius è custodia dimittuntur, quam mortuo patre, ne novandis quam gerendis rebus aptiores, tumultibus causam præbeant. Interitum Caroli filii Philippi II. Regis Hispan. historici Ovidiano illo notârunt versiculo:

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

XXII.

XXII.

MINORE DISCRIMINE SVMITVR, QVAM QVÆRITVR PRINCEPS. Hist. l. 1. c. 56. n. 5.

GENERARI ET NASCI A PRINCIPIBVS FORTVITVM, NEC VLTRA ÆSTIMATVR, ET SI ELIGERE VELIS CONSENSU MONSTRATVR. Hist. 1. 16. 3.

OPTIMVM QVEMQVE ELECTIO INVENIT. Hist. 1. 16. 2.

Non heri ſolum, & hodie, ſed jam ab omni ævo diſceptatum de ſucceſſione, & electione, occultè Lipſius ſucceſſionem præfert: contra autem electionem præferre videtur Florentinus ille Doctor ab Hetruria. Meum equidem non eſt tantas componere lites, ſuo quisque utatur ſuffragio, ſpreto alieno. Si curioſo mentis oculo latos, & lætos pervagamur hiſtoriarum campos, & optimum quemque electionem inveniſſe, & in purpura natos, ac à ſucceſſione fere Regna deprehendimus. Alexander Magnus, imo maximis major, digniſſimum ſibi deſignavit ſucceſſorem. Novo autem tunc opus fuiſſet Paride, qui non formæ pulchritudine, ſed magnete virtutis tractus, pro æquo & bono diſtribuiſſet pomum illud Eridos, tot habens competitores quot optimæ animæ altiſſima quæque aſpirabant. Imperator Severus nummo aureo filiorum ſuorum Getæ, & Caracallæ, imagines inſculpi juſſit, addito lemmate:

FELICITAS SECULI.

Sed qualis illa ſeculi fuerit felicitas, alterius libidines, alterius oſtendit fratricidium: & qui capaces omnium conſenſu videbantur imperii, niſi imperaſſent, potentiam ſibi, odium comparavere apud omnes. Ut ille in Barclaji Argenide ait chariſſimum cuilibet eſſe debere regiminis genus, ſub quo genitus ſit, ita & ego modum ſuccedendi (generaliter ſumto hoc vocabulo, ut & ſucceſſionem & electionem in ſe contineat) cuilibet tutiſſimum ſtatui arbitror, qui

 recc-

receptior: licet pro varietate variandum, ſuadente prudentia obliquare nonnunquã curſum, & Reipublicæ temporibus obtentui ſumtis, non ſemper ire uno gradu, ſed una via, nec ſe in aliquibus mutare, ſed potius aptare. An vero ſorti electio magiſtratuum ſit committenda, non ſic ſimpliciter affirmari, negative poteſt, ſed cum Berneggero diſtinguendum, inter ſortem abſolutam, & cum electione mixtam. Priori credere periculoſum, temerarium: cum ſæpe Fortuna faveat fatuis: cum electione autem mixtam poſteriorem ſeligere ſpeciem, melius, niſi me omnia fallunt, quadrat: à quo modo electio Ducum Reip. Venetæ non multum abhorret. Vid. Gottofr. in Archont. Coſm. in Rep. Venetâ. In Imperio noſtro Romano-Germanico Henrici IV. Imperatoris tempore Imperii Principes lege publica ſanxiſſe feruntur, ne cuiquam per hæreditatem, ut olim receptum, cederet tanta poteſtas, ſed filius, licet dignus, non jure ſucceſſionis, ſed jure electionis ad Imperii faſces contenderet. Hactenus per aliquod temporis ſpatium è ſola Auguſtiſſima Auſtriaca familia, tanquam regnatrice, ut appellat Auguſti familiam Tacitus, Archiduces ſceptra poſſedere: nullotamen inde ad ſummum illum apicem jure gaudent quæſito, eosque potius Electorum conſenſus quam familia conſtituit Imperatores. Vid. Exc. D. D. Schvveder. in Jur. publ. part. ſpec. S. 1. c. 1.

XXIII.

de moribus German. 45. 11. **FOEMINA DOMINATVR: IN TANTVM NON MODO A LIBERTATE, SED ET A SERVITVTE DEGENERANT.**

Occurrit hic locus, ampliſſimum aperiens campum de γυναικωκρατία diſſerendi: varia, à variis Politicis, præſertim à Lipſio argumenta allata, quæ fœminas non minus à ſceptro removent, quam ab omnibus officiis virilibus l. 2. ff. de

de Reg. Jur. In hiſtoria, ubi omnis exempli documenta in illuſtri poſita licet intueri monumento, fœminas reperimus, plusquam fœminas, Diademate regio inſignitas, prudenter non minus quàm feliciter gubernaſſe: econtra non deſunt ingenia pro ſexus genio imbecilla, & ſi licentia adfuerit, ſæva, ambitioſa, timida magis quam timenda, ad publicum quæ conſedere clavum. Tomyris Maſſagetarum, Zenobia Palmyrenſis, Artemiſia Halicarnaſſi, Dido Carthaginis, Semiramis Aſſyriorum, Venda Poloniæ, Margaretha Daniæ, Maria Scotiæ, Maria, Eliſabetha, Angliæ, Iſabella Hiſpaniæ, Reginæ: has omnes admiſit virtus, ſine ſexus diſcrimine, ad ſummam in orbe dignitatem. Accuſantur fœminæ, inconſtantiæ, imbecillitatis, garrulitatis, vitiorum Remp. interdum prementium, quandoque diſtrahentium: inverti ajunt humanarum rerum faciem, naturæ ordinem, ſi maſculi fœmineo fuerint obnoxii imperio: ſufficere ſequiori ſexui obſequii gloriam. Alii omni modo admittendum cenſent. Quantum ad me, pedaneus in caſtra opinionis Juſti Lipſii diſcedo, & capaces ſceptri fœminas judico, niſi lege patria, moribusque aliud fuerit conſtitutum: qualis eſt in Gallia lex Salica, ubi lilia non nere dicuntur. vid. Limnæum in Jur. Publ. t. 1. l. 2. c. 2.

XXIV.

PRINCIPES MORTALES, RESPVBLICA ÆTERNA.

Ann. 3. c. 6. n. 5.

Mortales eſſe Principes, ſane quotidiana teſtatur experientia, rerum omnium magiſtra: & inde nos Chriſtiani ridemus inanem gentilium & vanam vanitatem, Reges Principesque ſuos mortuos, imò ſæpè viventes, immortalitati conſecraſſe, templa, & cœleſtes religiones decreviſſe, ac pro Diis coluiſſe. Generoſe generoſus ille apud Senecam de vit. beata: Fac me victorem omnium gentium, delicatus ille

Liberi currus à Solis ortu ad Thebas vehat: Jura Reges Persarum petant, me hominem esse, tunc maxime cogitabo, cum DEUS undique consalutabor. Alexander optat, ô utinam Indi quoque me Deum esse credant: immemor patris Philippi, qui semper acclamantem sibi puerum habuit PHILIPPE HOMO ES. Carpit superbum Macedonem legatus è Scythia: si Deus, inquiens, es, mortalibus beneficia tribuere debes, non sua eripere: si vero homo es, id quod es, semper te esse cogita.

XXV.

Ann. l. 4. c. 40. n. 8. CETERIS MORTALIVM IN EO STARE CONSILIA, QVID SIBI CONDVCERE ARBITRENTVR: PRINCIPVM DIVERSAM SORTEM ESSE QVIBVS PRÆCIPVA RERVM AD FAMAM DIRIGENDA.

Ann. l. 4. c. 38. n. 7. CETERA PRINCIPIBVS STATIM ADSVNT: VNVM INSATIABILITER PARANDVM, PROSPERA SVI MEMORIA: NAM CONTEMTV FAMÆ CONTEMNI VIRTVTES.

Habent hoc mundi magni cives, quod nihil tectum, nihil habeant occultum, & eorum, quos fortuna Principes fecit, domus fama, & intimos recludit secessus, omnia dicta factaque excipit, nec magis quam solem latere sinit. Jure igitur cavere debet Princeps, qui qualemcunque meruerit famam, magnam habiturus est. Duplex autem illa fama, vel in vita, vel post mortem. Bona viventis Principis fama facit ad conservandam salutem, & plurimum momenti habet in bello, & in re militari. Sic universum terrarum orbem dum magnitudo Alexandri invasit, ut omnes velut destinato sibi Regi adularentur, fama plusquam armis avertit. De Cæsare Justinus refert, eum plus magnitudine nominis, quàm alios armis perfeciſſe. Famæ serviendum in bello: nam & fama

& fama bella conſtant. Mauritius Naſſovius Bergam ſine armis, & ſolo adventu vindicavit, cum pro armis (novũ præliandi genus) fama & exiſtimatione nominis ſui uteretur. Principi neceſſaria propter proximũ fama, conſcientia propter Deum: à qua, ut virum bonum, virum pium decet, ne transverſum unguem diſcedat. Sic ſecurus adverſus Deum, ſecurus adverſus homines, rem difficilimam aſſequetur, ut ſine morſu animi vitæ poſſit agere fabulam. Famam potiſſimum non perpetuam, ſed bonam Magnatibus quærendam, ſuadet Plinius in Trajani Panegyrico. Arcus, ſtatuas triumphales, ſacratas æternitati portas, obruit oblivio: virtute autem & meritis paratur fama, prorogatur memoria.

XXVI.

NEMO FLAGITIO QVÆSITVM IMPERIVM BONIS ARTIBVS EXERCVIT. Hiſt. l. 1. c. 30 n. 3.

Imperium iis artibus & retineri, & regi, quibus partum eſt, docet exemplum Tarquinii Superbi, qui ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſierat. Juſtinus Ptolemæum ſceleſtum vocat in occupando, ſegnem in adminiſtrando Imperio.

XXVII.

NOVVM IMPERIVM INCHOANTIBVS VTILIS CLEMENTIÆ FAMA.

Peſſimorum plerunque Principum optima regnandi ſolent eſſe initia: exemplo Tiberii, Caligulæ, triginta Athenienſium Tyrannorum, qui animo perfidioſi, & ſubdoli, avaritiam ac libidinem occultantes, ſpecieque bonarum artium falſi erant. Reprehenditur Mithridates à Tacito, quod initio regiminis ſe juſto atrociorem præbuerit: mitiſſima enim, ut Lucanus ait, ſors eſſe debet

Regnorum ſub Rege novo.

Captatio autem benevolentiæ tum in conſtituto, tum maxime in conſtituendo firmiter feliciterque Imperio locum habet: ut enim prima ceſſerunt, ſic de reliquis ſubditi ſibi ſpem faciunt: ſed ſæpe ſpe ſua defraudati: ſolent enim diuturnitate in ſuperbiam Reges mutari, & cum fortuna mores, imò & natura: quod Dario Colomanno veritatis impatienti Charidemus objecit ap. Curt. l. 3.

XXVIII.

MAJOR MAJESTATI EX LONGINQVO REVERENTIA.

Ann. l. 1. c. 47. n. 3.

A Dejoce Medorum Rege Herodotus memoriæ prodidit, inſtitutum fuiſſe, ne conſpiciantur crebrius Reges; continuum enim aſpectum minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facere. Apud Perſas etiam perſona Regis ſub ſpecie Majeſtatis occultabatur. Henricus VII. Angliæ Rex Londinum ingreſſus clauſo curru, utpote, qui olim Regni publicatus hoſtis, ſatius ſibi duxit celare faciem, quam ulla ratione plebis captatorem agere, adorare eum, jacere oſcula, & ſerviliter omnia pro dominatione facere, nec ad ancipitem plebeji favoris auram in tam tempeſtuoſo & vaſto mari, quo vel ipſe erraſſet Ulyſſes, ſolvere antennas, vela ventis dare.

XXIX.

RELICTA FORTVNÆ SEDE EXIRE DE IMPERIO.

Hiſt. 3. 68. 1.

Privato habitu una die Imperii commutavere inſignia Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani. Carolomannus ſuperſtitione captus abdicato Regno intravit monaſterium. Carolus V. celebertimi nominis Imperator depoſitis Imperii inſignibus monachum egit, aliis diutius retinentibus Imperium, nemine tam fortiter relinquente.

AXIO-

AXIOMATUM POLITICORUM GENERALIUM *APPENDIX.*

I.

Stultitia videtur, alienam rem ſuo periculo curare. Salluſt. bell. Jugurth.

II.

Humiles magnarum rerum DOMINI facti magnopere nocent. Ariſt. l. 2. Polit.

III.

Nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, quam celeritas. Liv. l. 31. c. 32.

IV.

Majeſtas Imperii ſalutis Tutela. Curt. l. 8.

V.

Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habet, domi inveniet. Liv. l. 30.

VI.

Regum diſcordia, ſalus civitatis. Ariſt. l. 2. Polit.

VII.

Nemo alteri imperium volens concedit. Sall. ad Cæſ. Orat.

VIII.

Suadere Principi quod oporteat, multi laboris. Tacit. l. 1. Hiſt.

IX.

Obliqua via eundum, quo non licet recta. Lipſ. l. 3. Pol. cap. 5.

X.

Proprium prudentis munus recte conſulere. Ariſtot. l. 6. Ethic.

Bene-

Benevolo Lectori
Salutem.

PLura circa ſtatum Principatus axiomata ex Tacito: multa ex Livio circa Democratiam, & Ariſtocratiam, afferenda forent: imo attuliſſem, niſi in ipſo labore telum in me injeciſſet fatum: dùm Chariſſimum D. Avunculum meum inopina mors, illi Solatium, mihi ſupplicium, ad plures abire juſſit. Reprehendetur forſan proinde, quod hujus ætatis rerum incurioſus, vetera tantùm attulerim exempla, quaſi magnarum virtutum ſterile noſtrum foret ſeculum, quas aut ſecurus neglexerim, aut ita, ut par eſt, non æſtimaverim. Veniam rogo, imo dabit ipſa temporum ratio, quæ non ea gaudet felicitate, uti judicare, quæ velis, & quæ judices, dicere licet. Juveni res noſtro geſtas tempore ad certas Politicæ applicare regulas, & Orbi exponere, intutum, temerarium, cum magna ſit viventium admiratio, difficilis autem cenſura.

I. Im-

I.

IMperii doctas dum tradit LENZIUS artes,
Virtutem illustri collocat ipse loco.
Hac patriæ quondam respublica dum potietur,
In Nato vivet sic pater usque suo.

Nobilissimi & Clarissimi Dn. Christiani Alberti LENZII, Fautoris & Consalini sui honorandi, tenerâ Illustris Avunculi ipsius PORTNERI, sed heu! nuperrimè prematuro fato extincti, curâ sibi concrediti, ante annum, & quod excurrit, sub repentinis, ob felicissimam Budæ expugnationem, Ducatus hujus feriis chartaceo lapideæ formæ opere Philologi eximii, nuper Ivoniano in Facultatis nostræ Festo Oratoris diserti, nunc verò Disputatoris accurati partes publicitùs implentis studiis ex animo gratulatur

JOHANNES ANDREAS
Frommann/ D. Pand. P. P.

II.

PORTNERVM nuper terris heu! fata tulerunt:
Ivit & ad Superos mens generosa Viri.
Ipse suum doluit CÆSAR LEOPOLDVS amicum;
Aulaque consiliis his viduata gemit.
Stat rigida obducto luctu Parnassia rupes,
Os Phœbi mutum dum tumulatur humo.
Hunc MÆCENATEM Musa doctaque Sorores
Flent, & vix tristi carmine plectra movent.

D Victri-

Victrices inter lauros, domitosque furores
Turcorum extollens læta Vienna caput,
Lugendam mortem tamen hanc quoque mœsta vicissim
Munere supremo dividit in populos,
Vicinasque ciet lachrymas, qua mœnia surgunt
Alta Ratispona, qua vehit Ister aquas.
Nec procul in Suevis Tubiæ has sensere Camœnæ,
Et mixtus Rheno qui fluit amne Nicer.
LENZIVS at dias revocare in luminis auras
COGNATVM docta dum parat arte suum,
Spes Generis solus sustentat: Avunculus in quo
Cum Patre huic Orbi parte aliqua superat.
Imperii incolumis Majestas quo stetit ante
Vindice: cui palmam Iulia lex peperit.
Nunc quantum TACITO præstet, prudentia rerum
Quanta sit hoc pleno fonte petita sibi,
Ostendit: Patriæ Civis dignissimus, ore
Atque stylo pollens, ingenioque potens.
Audiit hæc PRINCEPS: Illustris tecta Lycei
Dant plausum: Phœbo pagina tota placet:
Cujus & Authorem meliori carmine PRASCHI
Musa canat, qua non cultior ulla fuit.
Hujus ad exemplum tua virtus si quoque LENZI
Crescet, { *PORTNERI* / *SOLONES* } *non deerunt Patriæ.*

Scr.

Memoriæ & amicitiæ causa

PORTNERIANI & LENZIANI Nominis,
Famæque & Gloriæ immortalis
Cultor perpetuus

Joannes Ulricus Pregizer, D.

III. Si

III.

SI nec poma novo naſcuntur vere, nec udo
Flores autumno, Tu quid, Amice, paras?
Fœcundum veri autumnum conjungis, & omen
Implesque ac ſuperas nominis ipſe Tui.
Talis Principio rerum, niſi fallimur, orbis
Et fuit & certe debuit eſſe ſtatus.
Macte proinde novo conatu: nempe Parente
A magno non Te degenerare probas.

l. mq. f.

Michael Geydinger.

FINIS.

Z
10 94.2

Digitized by Google

Digitized by Google

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma

Digitized by Google